DE

MENSTRUATIONE VICARIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM

VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE ADIPISCENDOS SCRIPSIT

ET DIE XV. M. SEPTEMBR. A. MDCCCLX

HORA XI

UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HUGO CAROLUS STITZER

SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

GUALTERUS FRANKE, DR. MED. PRACT.

FRIDERICUS FLEISCHHAUER, DR. MED. PRACT.

HALIS

TYPIS ORPHANOTROPHEI.

VIRO

ILLUSTRISSIMO CELEBERRIMO

A. F. I. HOHL

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, INSTITUTI CLINICI OBSTETRICII DIRECTORI, EQUITI P. P.

PRAECEPTORI MAXIME VENERABILI

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Obiacentem hanc de menstruatione vicaria dissertationem nonnullas orationes ab Ill. Scanzoni habitas clinicas duasque ab illo enarratas morbi historias, — nec minus non mediocrem eiusdem morbi casum e clinicis Ill. Blasius secutus elaboravi. De qua quamquam minime nescius sum permulta exspectationi commilitonum non satisfacere, propterea quod cuivis quaestioni litterariae maxime autem medicae experimentis in propriis et studiis nitendum sit, ea tamen spero fore, ut mihi, qui ipse docerer petenti, condonentur.

Nomen et definitio.

Menstruationem vicariam dicuntesse haemorrhagias fere periodicas ex organis profluentes a sexualibus non pendentibus mulierum, quae vel prorsus nullas vel exiguas modo hae morrhagias menstruales praebent. Quae anomalia profluvii ex organis sexualibus muliebribus sanguinis, quod menstruationem appellant, quamvis non dubium sit, quin re vera existat, prioribus tamen temporibus, quibus quae esset natura menstruationis, nondum in aperto erat, parum intellecta est. Nam quamquam illos haemorrhagiarum casus adnumerandos nolo, qui sine dubio nullo modo menstruales habendi erant, ea de causa talia sanguinis profluvia statuta eademque menstrualia vocata sunt, quod omnibus persuasum erat, haemorrhagia illa, menstruatione vocata, materias quasdam noxias e sanguine et simul e toto organismo excerni atque excernendas esse. Quocirca, si quavis ex causa menstruatio vera cessabat et si forte sanguis ex organo alio quodam profluebat, hoc idem profluvium non e genitalibus profusum menstruatio vicaria atque eadem de causa modus aliquis sanantis naturae, „via artificiosa per naturam facta ad excernendas conservationi organismi feminini noxias materias,“ habitum est. Elucet, quum talis de menstruatione vera et praesertim de vicaria sententia esset, vicariam magni aestimatam et amenorrhoëae felicissimum comitem exitumque existimatam esse. — Ex quo autem tempore Bischoff repererat, profluvium sanguinis menstrualis externum momentum, signum modo processum esse, in quibus summa totius muliebris vitalitatis sexualis posita sit, — ovulationis spontaneae periodicae, — sanguinem porro excretum nec quod chemiam nec quod physicen attinet, a naturali abhorrere, quin etiam eam ipsam haemorrhagiam ab-

esse posse, neque tamen ullum morbum necessario adesse aut sequidebere: non potuit fieri, quin illa pro menstruatione vicaria habita sanguinis profluvia aut alio modo intelligerentur, aut si re vera menstrualia erant, multum de priori gravitate perderent. — Attamen iuvat illam vicariam menstruationem non solum ab historiae partibus accuratius tractare, quae quamvis in clinicis perrara sit, tamen medico practico per tempus anomalia fere semper innoxia obversatur.

Descriptio morbi et immutationes pathologicae.

Haemorrhagia quaedam fere periodica, si nihil aliud in femina amenorrhoëa laborante nisi menstruatio vicaria habenda est, tamen quamvis haec res nondum disquisita anatomice et probata sit, modo fere sic explicari posset. Constat enim inter omnes in menstruatione, id est, dum ovula maturantur et solvuntur et sanguis ad omnia organa sexualia muliebria vehementius congeritur: interdum vasa omnia magis vel minus excitata esse, qua quidem re et sanguinis illae ad pelvis genitalia congestiones et status totius nervorum systematis erethicus neque minus animae affectiones in processibus menstrualibus progignuntur. Quae si altera conditio modo posita ad efficiendum sanguinis menstrualis profluvium vicarium in causis physiologicis nititur: altera certissime pathologiae tribuenda est, quia id organum; per quod sanguis menstruationem compensans profunditur, necessario anomalia structurae anatomicae affectum esse debet, quae haemorrhagiam adiuvat. — Qua in re nihil aliud nisi aut nimia vasorum multitudo aut nimia parietum tenuitas et fragilitas vasorum sanguiferorum locum habere potest. Utra anomalia in singulis casibus adsit, quamquam non semper quidem diiudicari potest, tamen nullo modo sine momento habendum est. — Quodsi, ut supra diximus, in vasorum omnium comitante menstruationem excitatione, sanguis aucta celeritate vasa percurrit et cordis actionibus fortioribus et celerioribus magis magisque premitur, necessario inde sequitur, aut ut in illis corporis locis

minoris resistentiae supra descriptis, tenues vasorum parietes perrumpat, aut si quod organum nimia vasorum multitudine sanguini per vasa haec nimis multa sibi peradmodum vicina ideoque se prementia, profluenti, nimis resistit, hoc ipsum impedimentum telas perrumpens superet. Ex qua ratione aut haemorrhagiae iam existentes periodicae fiunt, — exempli causa haemorrhoidales fluentes, rhinorrhagiae, aliae — aut novae existunt: — et secundum sedem anatomicam et naturam organorum haemorrhagias profundentium, sanguis aut in cava corporis — ventriculum, nares, orbitas, aures alia — atque ex iis in externum, aut recta via in externum effunditur, — ex mammis, dermate, ulceribus, fistulis, vulneribus, teleangiectasiis, phlebectasiis, — aut vero naturalibus cum secretionibus excernitur: — haematuria, dacryohaemorrhysis. Qua haemorrhagia, quae idem efficit, atque facticia sanguinis missio ante aut inter menstruationem, sanguinis congestiones ad pelvis genitalia, eorumque hyperaemia inde orta, si sufficit, tolli possunt, ut hoc modo haemorrhagia menstrualis desit. — Sin vero non ad menstruationem compensandam, tamen ad moderandam sufficit, ut haemorrhagia ex organis genitalibus comminuatur: — aut vero efficit, si hyperaemia vasorum uteri non tanta est, ut vasa perrumpantur, maiorem exsudationem, quam sequitur secretio aucta tunicae mucosae uteri. Quae aucta secretio membranae pituitosae uteri nunquam neque in ipsa plane sufficiente menstruatione vicaria deesse videtur, siquidem ex leucorrhoëa mulierum amenorrhoëa laborantium periodice redeunte concludi licet. — Iam illae supra allatae conditiones, sine quibus menstruatio vicaria neque fieri neque existere potest, pathologicae certe, non aperte quidem probari, sed tamen maxime verisimiles reddi possunt. Quae quidem anomalia structurae anatomicae, quam conditionem pathologicam supra nominavimus, — tenuitas parietum vasorum, nimiaque vasorum multitudo, — crebrissime in membranis mucosis reperitur, quum constet has telas magis omnibus aliis ad haemorrhagias inclinare — tunicae mucosae ventriculi, bronchiorum, narium, aliae. — Praeter telas pituitosas fontes menstruationis vicariae propter praedispositionem ad immutationes pathologicas supra postulatas saepiusque observatam frequentiam, digna sunt, quae nominentur, teleangiectasiae, vulnera, fistulae imprimis autem phlebectasiae haemorrhoidales et species quaedam ulcerum, quibus re vera facultas tributa est menstruationis compensandae,

et quae eadem de causa ulcera menstrualia distincta sunt. Apparuit quidem ex decursu eorum semper arctissimus connexus cum menstruali haemorrhagia, quum inter amenorrhoëam mensium tempore sanguinem effunderent multo magis secernerent: interiecto inter menses spatio, postquam menstruatio curatione idonea rediit, coirent. — Idem fit in periodicis sanguinis profluviis phlebectasiarum haemorrhoidalium, quae ad menstruationem compensandam sufficere posse cuivis forte opinor medico practico intelligendi copia data est. — Quodsi concedendum est, menstruationem vicariam hac ratione effici et existere posse, alia tamen ratio eiusdem, quam positam esse dicunt in secretione nimis aucta fere periodice simul cum amenorrhoëa revertente quorundam organorum, — glandularum salivalium, tunicae mucosae intestini, vaginae, uteri, aliorum, — probari non potest. — Si enim, deficiente vera haemorrhagia, quamvis iure suo interdum menstrualis haemorrhagia deesse possit, auctam tantum pituitae secretionem pro menstruatione habere nolumus, omnes hoc loco producti casus sunt, quibus de chlorosi agebatur: ergo de amenorrhoëa, quam semper, praesertim chlorosi eductam, secretio nimia tunicarum mucosarum — exempli causa leucorrhoëa — sequitur. — Maximum enim momentum ei tribuerunt, quod illa nimis aucta secretio eo ipso tempore, quo menses adparere debebant, periodice redibat, eamque ob causam menstruationem vicariam appellarunt. Et profecto haec secretio cum menstruatione cohaeret: facile enim intellectu est, sanguinem in chlorosi, quem nimiam aquae quantitatem continere, in vasorum systemate perverse illis ipsis supra nominatis organis inaequaliter tributum et ob hanc causam iam ipsum ad exsudationes — qua re iterum secernendi facultas illorum organorum augetur, aptum esse scimus, quam multo magis, excitatione totius vasorum systematis per mensium tempus orta, secernendi ubique copiam dare debere inprimis autem in organis illis sanguine ditioribus. Qua de causa altera iam nunc descripta menstruationis vicariae ratio non pro menstruatione vicaria sed pro amenorrhoëa habenda est, quae quidem amenorrhoëa longe saepissime chlorosi, vel ut accuratius dicam, aquosa sanguinis natura et inaequali eius per vasa distributione provocata est. Iam quod attinet ad gravitatem vel periculum menstruationis vicariae, non negandum est eam plurimis in casibus sanitati organismi muliebris non nocere, quia sanguinis profluvia non magna esse solent: periculum autem

imminere si magnae sanguinis quantitates effunduntur ideoque chlorosis vel anaemia sensim produci potest: vel etiam nimia sanguinis mole profusa functiones organorum quoad vitam gravissimorum, — cerebri, aliorum — impediuntur; qui casus felicissimo modo sunt perrari. — Praeterea prognosis in universum melius statui potest, quia illae haemorrhagiae vicariae saepissime per longum temporis spatium non manent, quum interdum natura ipsa sanatrix ita ingrediatur, ut menstruatio vera incipiat, postquam vicaria evanuit: — adhuc accedit, quod materia medica remedia praebet probata: tandem ad finem non silentio transeundum est, hanc menstruationis anomaliam conceptionem non semper excludere, sed etiam per graviditatem et lactationem evanescere.

Aetiologia.

Praeter illas iam supra nominatas descriptasque conditiones quas naturam exprimere dixerim menstruationis vicariae: excitationem vasorum systematis per mensium tempus, nimiam vasorum multitudinem eorumque parietum nimiam tenuitatem et fragilitatem organorum sanguinem profundentium: — iam attuli membranas mucosas nec minus vulnera, ulcera, fistulas, teleangiectasias, phlebectasias, alios locos minoris resistentiae, ad illas conditiones praedispositos esse. — Sed accuratius intuenti non negandum esse mihi videtur, has iam supra dictas causas praedispositas nec minus omnino facultatem nascendae menstruationis vicariae et in topicis et in generalibus, qui dicuntur, morbis, — causis praedisponentibus positas esse vel quidem positas esse posse. Quibus e localibus causis praedisponentibus in primis nominandae sunt: Organica cordis vitia, quae facillime pneumorrhagias efficiunt, phlebectasias haemorrhoidales earumque haemorrhagias provocant etc.; perturbationes circulationis sanguinis, exempli causa, venae cavae inferioris, venae portarum, aliorum vasorum; — morbi chronici pulmonum, quorum frequentissimus tuberculosis — incipiens, — maxime huc pertinet. — E generalibus causis praedisponentibus di-

gnae sunt, quae enarrentur: mutationes pathologicae qualitatis sanguinis, e quibus scrofulosis certissime primum locum tenet, morbus ille cum ulcerationibus tenacibus coniunctus, ulcera menstrualia, haemorrhagias carie effectas secum portans. — Si iure hi morbi iam nunc allati causae praedisponentes positi sunt, qui nunc discribuntur status pathologici menstruationem vicariam vel antecedentes vel sequentes, causae efficientes nominari possunt: suppressio mensium, mutationes anatomico-pathologicae texturae uteri, e quibus infarctum chronicum, quo morbo facultas et paene dicam studium se contrahendi hypertrophicae telae cellulosae, quominus hyperaemia, expansio, ruptura vasorum uteri intrare possit, prohibet, — ante omnes commemorare lubet; — organica vitia uteri, — formatio rudimentaria, (embryonalis) — excepta huc non spectante atresia, — evolutio vitiosa, status paralytici genitalium et praecipue uteri; — aliae etc. Sed tamen hoc loco non negligendum est, menstruatione vicaria morbos uteri et genitalium omnino produci posse. — Praeterea autem casus nonnulli illius anomaliae non ignoti sunt, in quibus praeter conditiones illas, sine quibus menstruationem vicariam existere non posse contendo, eamque ipsam non modo non ne minimae quidem immutationes pathologicae inveniri poterant, sed etiam prorsus non aderant.

Symptomatologia.

Menstruationem vicariam antecedentia symptomata et comitantia in localia et generalia distribuuntur atque inter se quamquam secundum organum, quod sedes est haemorrhagiae differunt, tamen in eo conveniunt, quod in hyperaemia ipsorum organorum et in vasorum sanguiferorum excitatione et ruptura posita sunt. — Symptomata localia fere haec: haemorrhagiarum in ventriculum profusarum sensus caloris auctioris, molestae nauseae, cardialgia, vomitus, haemoptysis: haemorrhagiarum in intestinum: dolores colici et sacrales, sanguinolentae dolentesque alvi exonerationes;

pneumorrhagiarum: palpitatio cordis, dyspnoë, nausea, haemoptysis; rhinorrhagiarum; cephalalgia vehemens in fronte, fremitus auricularis; otorrhagiarum: vertigo, hypercusis, hemicraniae similes molestiae; ecchymomata in orbitas: phantasmata, photopsia, chromopsia, myodeopsia, marmaryge Hippocratis, visus reticulatus, aliae hallucinationes visus, dacryohaemorrhysis; haemorrhoidalium fluentium: sensus injucunditatis, sudor frigidus, hypogastrium ardens et tensum, calor auctior; perturbationes generales functionum organorum digestionis, nauseae, vomitus, cephalalgia, pulsationes venarum dilatatarum; haemorrhagiarum ex ulceribus, vulneribus, etc. inflammatio auctior circa partem aegrotam doloresque intensiores; ut breviter dicam, omnia, quae nominare possem symptomata, vasorum cordisque actiones erectas esse et incensas et in universo corpore et in ipsis organis iam nunc citatis declarant. Sanguine autem profluente illico omnes dolores angoresque diminuuntur et evanescunt. Dum vero haemorrhagia vicaria manet, tunica uteri mucosa vel exiguam sanguinis — admixtis acidis pinguibus volucribus male olentis (Virchow) quantitatem expellit, vel ut iam supra dictum est, copiam pituitae maiorem secernit. Et quidem tam corporis quam cervicis uteri tunica mucosa secernit, quae quidem membranae ab anatomiae partibus eodem modo inter se differunt quomodo a partibus physices ea, quae secernunt. (Koelliker, Scanzoni.) Corporis enim uteri tunica mucosa laevis est, colore languide flavo, vel rarissime holoserico similis aspera et ita livida esse videtur, praeterea autem tota semper epithelio tecta cylindrico: — cervicis contra colore pallido tinctam in plicas transversas implicatam, inter quas tanquam in sinubus folliculi in vesiculas amplificati — ovula Nabothi — inveniuntur; totam autem epithelio strato tectam videmus. Quae in cavo corporis uteri secernuntur materiae, puriformes sunt, lacti coagulato similes, languidis coloribus interlucentes, et modo, si diutius retentae sunt, dilutae: contra quae e cervicis cavo proveniunt secreta vitreo similiter pellucent; consistentia lenta et embolo similia parietibus adhaerent. Chemice examinata alcalinam ambo reactionem significant. Interdum etiam vaginalis uteri portio relaxata esse dicitur. Minus de muco in vagina et vulva secreto, qui acida chemice disquisitus est reactione, verba facta invenimus. Praeterea mentio facta est de dolore obscuro in ovariorum regione circumscripto, quem quidem perraro inveniri et for-

tasse hyperaemia ovariorum atque in obductionibus, haudquaquam crebris, repertis ut fertur folliculis Graafianis hydropice degeneratis progenitum esse censent: quas res igitur in paralysibus tubarum uterique ipsius reperiri debere eoque in loco ergo sanguinem menstrualem sine ovorum maturatione solutioneque profundi elucet. Et re vera iamdudum demonstratum est, quamquam hydropice degenerati folliculi Graafiani — ovorum capsulae — parietesque eorum hoc processu condensati ita erant, ut perrumqi non possent, tamen ceterum rectissimam haemorrhagiam menstrualem procedere posse: atque vice versa Scanzoni multa contemplatus similia et perscrutatus probare studet, eade causa, qua lupiae in ovariis formarentur, profluvium sanguinis menstrualis prohiberi posse: et itaque tumores cystici eadem ratione oriri, qua menstruatio ipsa cessaret: quum autem, ut supra jam explicavimus — vide in aetiologia vitia uteri! — menstruationem cessare viderimus, quod menstruatio vicaria adesset, non negandum esse mihi videtur, menstruatione vicaria ovariorum morbos oriri vel vice versa e pathologico aliquo ovariorum statu menstruationem vicariam adjuvari posse: ergo rationem ad aetiologiam spectantem inter menstruationem vicariam et ovariorum morbos interesse.

Quod attinet ad symptomata generalia, de quibus summum jam cognovimus, auctas cordis actiones et vasorum, omnino modo id dici potest, ea reflexa esse illis jam saepius commemoratis sanguinis congestionibus et in excitato hoc modo toto nervorum systemate posita esse, et porro intensiore vehementia invadere, quam in menstruatione vera, quam mitiora comitantur. Ut facilius perspici possint, consilio non repugnare visum est, si ad nervorum species, quas affectas esse videmus, distribui. Nervorum sensoriorum sunt: saepius varians sensus ardendi et frigendi; vertigo, cephalalgia, sensus rigoris cervicalis; plenitas molesta et bulimus vehemens; cupidines mirarii, dolores colici intestina punientes; nervorum motoriorum: acceleratus et inaequalis pulsus cordis, dyspnoë, celeriores et fortiores motus respiratorii, interdum vox rauca, ructus, vomitus, meteorismus, convulsiones; sympathicorum nervorum et vasa moventium: facies subtumidula, cutis livida, crinium vel maior mollities vel durities, eruptio exanthematum nonnullorum, oculi languide fungentes et coeruleis circulis circumsulcati, intumescens glandula thyreoidea, perturbatae nonnullae secretiones et

excretiones; systematis psychici nervorum: turbatio concentus, tristia, demissio animae. Sed ut localia illa ita et haec generalia symptomata sanguine profluente evanescunt et sanitatis felicitatisque sensus redit. Jam nunc hic copiosius explanandum esse mihi non videtur, morborum cum menstruatione vicaria complicatorum symptomata esse propria, quum eorum enarrandorum copia hoc loco data non sit.

Decursus et exitus.

Menstruationem vicàriam reperiri aequaliter in feminis et quae jam peperunt, et quae nondum gravidae fuerunt: et quae menstruaverunt et nunc primum ab hac anomalia afficiuntur, et quae primum ea laborarunt, antequam omnino recta via menstrualis sanguis effusus erat, at postea veram mensruationem vel natura vel arte sanatrice adeptae sunt: inter omnes constat. Praeterea similiter ac vera menstruatio vicaria ab finibus natura constitutis declinat, quum vel praematura vel serotina intret: vel praematura evanescat vel supra tempus naturale quippe quod experientia statutum sit, maneat; vel copiosior sit vel nimis parca: vel molestiis magnis vel medioribus vel nullis conjuncta sit. Quod attinet ad temporis spatium, per quod effunditur menstruatio vicaria, jam supra diximus natura sanatrice in veram mutari posse, cujus rei benigna facultas ante omnes conceptioni graviditatique tributa esse videtur, quum quidem eam conceptionem non excludere perque graviditatem et lactationem evanescere jam satis commemoratum sit. Sed hunc locum esse credo, quo de mirabili quodam facto, cujus revera vix perspicienda causa est, nonnulla quidem dicenda sint: de eo quidem, quod abortum saepius observatum esse tradunt in graviditate feminarum menstruatione vicaria laborantium ideoque jure suo contendere sibi videntur, menstruatione vicaria abortum provocari posse. Quam rem verisimilem esse non negandum est, quum forte illa haemorrhagia vicaria per graviditatem non cessante, sanguis ad evolvendum fructum necessarius desit: at vero praetermittendum non esse censeo etiam rationem contrariam locum

tenere posse, ut, quum per graviditatem sanguinem non leviter mutari praecipue aequae non parva quantitate expleri constet, eodem fere modo ac in chlorosi sanguis per vasa perverse distributus esse et in locis illis supra descriptis, si forte adsunt, minoris resistentiae profundi possit praecipue vero mensium tempore sanguinis illa excitatione provocata. Si vero illo modo non desinit, menstruationem veram feminae ea laborantis per vitalitatem sexualem compensare potest, nisi coposior anaemiam, alios morbos procreat vel etiam nimis magno sanguinis profluvio vitae periculum minatur. Utrum vero aetate climacterica maneat, an recto tempore evanescat, dijudicari non certe potest, quum fines per se ipsos dificillime poni nec minus morbos praedisponentes et efficientes certe semper cognosci posse sciamus: — tamen menstruatio vicaria item ac vera defuncta organorum sexualium vitalitate evanescere videtur: propterea casus contrarios nec minus initio hujus capitis allatas declinationes pathologicas fere semper et ex illis saepius nominatis mutationibus anatomico-pathologicis texturae functionumque et genitalium et organorum vicarium sanguinis profluvium profundentium, et ex morbis universum organismum corripientibus deducendas esse credo.

Diagnosis.

Non errare mihi videor, si contendo, non difficultatibus impeditum esse quominus dicant haemorrhagiam aliquam supra accuratius descriptam menstruationem vicariam habendam esse sed locis in plurimis carituram esse probationem strictis argumentis: quum de ovariis, quae maximi momenti sunt, ad profluvium quoddam sanguinis menstruale faciendum, statui nihil possit, nisi conceptio et graviditas accedit. Ceterum non negligenda sunt reliqua genitalia, uterus, vagina, vulva, mammae, non modo tam ut haemorrhagia menstrualis declararetur, quam ut vitalitas organorum sexualium cognosceretur, praesertim quum sanguis ex utero profusus iam gravissimi momenti esset: ex aucta contra pituitae secretione tunicae mucosae uteri, vaginae, vulvae nihil de

ovariis concludi posset, quippe quae fere semper e pathologicis rationibus exorta sit. Per se ipsum adparet morbum aliquem causalem vel fortuitum non praetermittendum esse.

Prognosis.

Etiamsi omnino concedendum sit, menstruationem vicariam, quippe quae non cum morbis aliis complicata, non facile exitum letalem provocet, praeterea autem vel ipsa natura vel medicamentis sanari possit, prognosin quoad vitam faustam praebere, tamen et facillime facultatem concipiendi, quum menstruatione vicaria ipsa, tum ea effectorum morborum uteri et genitalium omnium, — privari posse, — quae quidem concipiendi copia per se ipsam remedium est optimum naturale menstruationis vicariae, — et organorum singulorum universique organismi totum processum efficere et sequi, — observatum est. Elucet eam menstruationem vicariam prognosi optima uti, quae nulla ratione cum perturbatione aliqua organismi conjuncta est: quamvis et eam non semper sanari posse constet.

Therapia.

Quae menstruationis anomalia, quamdiu nulla ratione mulieris sanitati laborantis nocet, nescio an optimum sit, eam medicamentis non oppugnare: et in illas praecipue casus hoc cadere censeo, in quibus ex organis internis sanguis profunditur, et mutationes anatomico-pathologicae illorum organorum, — saepissime quidem, — cognosci non possunt. Quod eo magis commendandum est, quoniam ut supra vidimus rarissime menstruatio vicaria dilucide intelligi: haemorrhagia porro illum morbum simulans alia pathologica

ratione provocata esse: praeterea autem perturbatio quaedam ignota, tamquam causa natae anomaliae, si quidem postea effecta esse videtur, structurae anatomicae functionumque organi normaliter sanguinem excernentis, — uteri, existere potest. — Sed nullo modo his verbis expressum esse volo, omnino nihil adhibendum esse, iam satis faciendum mihi esse videtur, ut morbus recte cognoscatur tanquam initium sanationis vel autem cogniti causae complicationesque indagentur. — Iam nunc quod attinet ad therapiam ipsam, ea organa secundum instituenda est, per quae sanguis profunditur. Si enim sanguis e teleangiectasia profluit, — e vulnere, fistula, ulcere, alio omnino loco, in quo mutationes anatomico - pathologicae statim perspici et recta via impugnari possunt, elucet illas turbationes tollendas esse, quare saepius, — exempli causa sanato ulcere — menstruato vera illico revertitur. Attamen vero menstruatio medicamentis natura arteque probatis, — de quibus postea, — restitui potest et debet: idque eo magis, quum, si illae corporis partes aegrotae, iamdudum haemorrhagiis laborarant, eae, haemorrhagia ipsa periodice ingrediente sanationi tenaciter resistere soleant, interdum etiam sanari non possint. Resultat ergo, — indicatio causalis — ut his locis teleangiectasiae operatione chirurgica, siquidem quod attinet ad sedem et magnitudinem fieri potest, — dirimenda: — ulcus solito modo ad cicatricem obducendum sit, etc. Aliud est, si sanguis ex organis internis effunditur: nam omisso eo, quod causa proxima fere semper dubia erit, therapia recta via adhiberi non potest. Hoc enim loco sanatio non aliter fieri potest, ac quum congestionibus sanguinis ad organa laborantia moderandis, tum augendo et impellendo sanguine in organa sexualia. — Si certa ratione haemorrhagias illas tenuitate parietum et fragilitate, ex atonia vasorum effectas esse concludi potest, medicamenta illa, vasorum parietes roborantia, adstringentia, e quibus maxime plumbum indicata essent: si quidem e contrario nimia vasorum multitudo, hyperaemia igitur, causa haemorrhagiae inventa esse videretur, excitata vasa pacanda, sanguinis ad illa organa congestiones moderandae essent, quem ad finem digitalis, nitrum nec minus methodus, quae vocatur decivatoria adhiberi deberent: quamquam et hoc loco organorum sexualium cura omittenda non est.

Iam nunc venimus ad saepius supra commemoratam menstruationem veram restituendam, quem in finem, quippe

quae medicamentis impetrari possit, varia multaque remedia applicanda commendata sunt: quae omnia ïdeo adhibentur, ut sanguinis maiorem quantitatem ad sexualia muliebria congerant, praecipue vero ad pelvis genitalia et quidem eo modo, ut hoc impetu sanguinis cum menstrualibus conjuncto congestionibus, vasa sanguifera uteri tunicae mucosae usque ad perrumpandos vasorum illorum parietes expleantur, qua re sanguis ex iis profunditur. — Quae medicamenta emenagoga vel pellentia vocata, et in genitalibus ipsis et per sanguinem applicantur, atque ideo et in topica et in generalia distribuuntur. — De localibus summum est calor humidus, qui vasorum telas ut omnino membranas omnes relaxare eoque modo facillime eas ut perrumpi possint, praedisponit. Qui mihi omnibus aliis remediis in eo anteponendus esse videtur, quod nunquam ne minimum quidem nocet, quod saepissime in adhibendis aliis emenagogis fieri ab omnibus doletur. — Applicatur enim in balneis fervidis, e quibus lavationes genitalium et pedum, vaporaria, crebissima; injectionibus ingenitalia praesertim uteri cavum, quem ad finem quae vacatur ferviva uteri adspersio — Douche — maxime commendatur, quippe quae praeter calorem uterina vasa aqua infusa excitet, — cataplasmatibus calidis in hypogastrio frequenter imponendis. Non tamen effectus aquae frigidae ex altitudine maiore in sacralem regionem radii forma demissae contemnendus est. Praeter has aquae applicationes excitantium materiarum in cavum uteri iniectiones efficaces commendatae sunt, quamquam summa providentia et modo, si auxilium celerrimum pericula prohibere potest, adhibendas esse censeo, quum facillime iis inflammationes mucosae membranae dolorosas — endometritides — parenchymatis — metritides — quin etiam uteri peritonealis tegmenti — perimetritides, — provocari posse non ignotum sit. — Quibus ex iniectionibus paucissime periculosae et tamen efficaces illae ab Ashwell e liquoris ammonii caustici drachma et lactis tepidi unciis sexdecim — quibus et sinapis farinae decoctum substitui potest — compositae, — comprobatae sunt: — quas tamen, ut effectum habeant, Scanzoni per tempus aliquod, circa quindecim ad viginti minutas in cavo genitalium per spongiam in rimam pudendi immissam retinendas esse suadet. — De localibus vel maxime cognitum interdumque probatum medicamentum Schoenlein proposuit: vult enim materias excitantes per anum applicari ideoque clysma aloës grana

decem ad unciam mucilaginis continens composuit. — Longe certissimum autem et localium et generalium, quae proposita sunt, remediorum persuasum mihi est in admotis saepius hirudinibus nonnullis, — circa quinque, sex — ad portionem uteri vaginalem, tempore, quo congestiones sanguines menstruales adesse, verisimile esse videtur, positum esse. Quae quidem curandi methodus eo experientia probata est, quod illa ex morsibus hirudinum vulnera facta, haemorrhagiam menstrualem compensabant et repetita applicatione sensim periodicum fere sanguinis ex utero profluvium provocabant, simul autem efficiebant, ut menstruatio vicaria evanesceret. Huc accedit, quod facile intelligi potest, quomodo effecta haec res sit, ut nulla ratione nocere possit simulque facillima molestiis ne minimis quidem et difficultatibus impedita illa curandi nothodus sit, ut re vera sine ulla conditione, nisi quam natura vetat, omnibus et topicis et universis remediis anteponenda sit. (Scanconi.) Quod quidem remedium revera ita commendandum esse facile probari potest missionibus sanguinis, quae prioribus temporibus cessante menstruatione semper adhiberi solebant, ex ani regione, ex labiis maioribus, ex faciebus internis femoris, aliis locis: — porro sinapismis faciebus femoris internis admotis ad sanguinem in genitalia organa et impellendum et congerendum. — Eundem in finem scarificationes vaginalis uteri portionis factae probataeque sunt. Tandem ratione eodem portionem vaginalem cauteriis variis, — lapide infernali fuso, tinctura Iodi, aliis, — corroserunt: nec minus materiis corrodentibus illam uteri partem, — collodio, acido pyrolignoso, aliis, — obduxerunt: quae vero remedia ad efficiendam sanationem hirudinum et scarificationum applicationi postponenda sunt. (Scanzoni.) Novissimo tempore eundem contra morbum vapores chloroformii in vaginam influentes, — quem in finem illa a Scanzoni machina constructa commendari potest — ut fertur eventu fausto adhibuerunt, Hardy, Jacobovicz, Scanzoni: de electrica ci contra et galvanismo hoc loco nihil dicendum est. — Praeterea mentio facienda est remedii, novissimo quoque tempore inventi, excitationis consensualis uteri e mammarum nervis, quippe quae excitatio admotis mammarum papillis apparatibus sugendo servientibus effici dicatur. Qua nervorum mammis inservientium erectione hoc modo provocata, lactis glandularum hyperaemiam effici et consensu illo, qui inter eas et pelvis genitalia versetur, in

illa produci posse contenditur. Quamvis hoc remedium perraro adhibitum sit, Scanzoni, qui quidem invenit, plus eo effecisse se putat, quam admotis sinapsimis vel vesicatoribus illis organis vel autem sanguinis ex iis missionibus factis. Tamen ego iis quae per tempus lexi commotus, quin commendanda sit illa curandi ratio, maxime dubium habeo, quamquam omittam illa mechanica certe non exigua mammarum turbatione inflammationes progigni facillime posse. — Quibus de multis iam nunc enarratis medicamentis topicis iure quam caloris humidi applicationes variae tam hirudines vaginalis uteri portioni admovendas, minime periculosas, sanationi convenientissimas certissimasque curandi methodos habendas esse, contendere posse mihi visum est.

De remediis, quae generalia vocantur, plurima adhibita et commendata sunt, sed revera paucissima eventu accuratius examinato: quorum clarissima aloë, sabina, secale cornutum iure habentur. — Quae minus probata esse tradunt, fere haec sunt, — quum omnia enarrare paene impossibile sit: myrrhe, guaiac, ialappa, scammonium, galbanum, gummi ammoniacum, asa foetida, succinum; ruta, rubia tinctorum, crocus, vanilla, helleborus niger, arnica, colocynthis, senega, centaurea benedicta, geum urbanum, absinthium, millefolium, matricaria chamomilla, rosmarinus, pulegium, borax, ammonium muriaticum et succinicum, cantharides, etc. etc. porro tria, sed quae non recta via sanguinis ad pelvis genitalia congestiones progignunt, nominanda remedia sunt: ferrum, iodum, sulfur: — Quod ad ferrum attinet, id adductum esse videtur, quippe quod magnam in sanguinis formatione partem habere experientia doceat, iisque ergo in menstruationis vicariae locis adhibendum esse eluceat, quibus ne minimum sanguinis profluvium anaemiam, chlorosin alios morbos provocet, timetur, quibus ergo pathologica sanguinis natura ad normam reducenda est, siquidem illa nimis aquosa sanguinis et diluta indoles haemorrhagiam unamquamque faciliorem periculosioremque reddit; ferrum simul cum diaeta convenienter roborante, remedium unicum indicatum est. — Prorsus non aliter de iodo in menstruatione vicaria adhibendo iudicari potest, quod indicatum esse omnes inter se consentiunt, si morbus causalis, inprimis scrofulosis, tuberculosis, — debellandus est: scrofuloseos enim remedium specificum et in tuberculosi ante omnia anteponendum esse, si sperandum est

fore ut tubercula deposita haemorrhagias provocantia resorberi possint, iamdudum ab omnibus agnoscitur. Sed mihi non praetermittendum esse videtur, iodum in hoc morbo et in uteri morbos et in vitia organica debellanda adhibitum esse, si remedium specificum a nonnullis laudibus prolixe elatum est. — Sulfuris tandem usum exiguis credo finibus concludendum et modo in haemorrhoidibus fluentibus indicatum esse, quarum sanguinis profluvia menstruationem compensant, si omnino menstruationis verae restituendae causae adsunt. In animum inducere non possum, digitalin, quam eadem ratione commendatam invenimus, aliter adhibendam esse, quam ad circulationem sanguinis regulandam eoque modo haemorrhagias e morbis cordis vel pulmonum exortas diminuendas et pacandas, quare verum recto loco excernendum sanguinis profluvium ut ingrediatur, efficitur. Neque aliter de nitro sentio, quod congestiones et haemorrhagias e pathologicis causis enatas moderare et ita in menstruatione vicaria restituendam veram adiuvare posse credo. — Videmus igitur nunc in menstruatione vicaria nullo alio morbo coniuncta, aloën, sabinam, secale cornutum, de quibus secale cornutum, quod non vehementius effectus suos producit, praeferendum est, remedia bene certeque pellentia relinqui: quamquam negare minime volo et alia per tempus probata esse.

Sed tamen, quamvis permulta esse eaque clarissima saepissimeque efficacissima remedia arte medica contenta constet, non quidem perraro menstruatio vicaria nec sanatur nec sanari potest, quam rem ad intelligendam, vel organorum sanguinem profundentium mutationes anatomico pathologicas eo progressas esse, ut medicamentis non iam tolli possint, vel pelvis genitalia aut per se ipsa vitiose evoluta, siquidem non comprobari potest, aut male innervata, quam rem invenire semper etiam non facillimum propositum est (Scanzoni), aut tandem in textura anatomica et functionibus prorsus adeo mutata esse morbis forsitan iam — in vita intrauterina vel autem ante maturam aetatem degressis, ut de regulandis organorum sexualium processibus abstrahendum sit, suo iure interpretatio patet. — Ac praeterea non negligendi sunt casus nonnulli menstruationis vicariae, quibus ne minima quidem mutatio pathologica excepta ea ipsa, nec demonstrari poterat, nec omnino aderat, qui ergo spem sanationis maximam praebebant, quos non modo non sanatos

esse sed etiam adhibitis efficacibus remediis status periculosissimos, quorum congestiones ad cerebrum sanguinis commemorare lubet, provocasse traditum est, ut reditus menstruationis vicariae felicissimus eventus haberi deberet. — Quamquam hoc loco opinati sunt, naturam vel organismum ut ita dicam periodicis non ex utero sed ex aliis organis, profluentibus haemorrhagiis assuevere, tamen hac opinione illius morbi causam ne minimum quidem facilius intelligendam redditam esse credo: sed tamen revera aliud quoddam praeterea dici non potest. — Iam nunc e contrario menstruationem vicariam interdum, quamvis per longum temporis spatium nec emendari nec sanari posset, subito natura sanatrice evanuisse constat, cuius rei ut supra commemoratum est, facultas inprimis conceptioni et graviditati tributa esse videtur. — Si vero graviditatis certa signa adsunt, tamen maxime providendum est, ne eam causis iam supra allatis abortus interrumpat, quem in finem remediis sanguinem pacantibus utendum est. — Tandem sententia alia de ratione sanandae menstruationis vicariae statuta est, quae probare studet, eam menstruationem vicariam, quae complicata non sit cum morbis causalibus sanari semper non posse, quum quidem ea via sit data quasi vera et recta ad sanguinis in utero prohibitum profluvium: illam autem cum mutationibus quibusdam pathologicis coniunctam, sanandam esse: quae sententiam in illa tempora detrudenda esse mihi videtur, quibus sanguis menstrualis venenum organismi muliebris habitus est.

Priusquam vero finiam hasce pagellas liceat mihi duos menstruationis vicariae casus, quorum observandorum copia mihi data erat, accuratius enarrare.

I. F. J. annos septendecim nata, innupta, haemorrhagiarum causa ex aure sinistra periodice profluentium, quae quidem iamdudum sed sine fausto eventu curatae erant, in gynaecologica clinica herbipolitana recepta est. Puella aegrota, specie iuvenili et florente nec minus corpore satis robusto, incipienti sua aetatis anno sexto decimo fere periodice per tres dies manentibus et spatio dierum circiter

viginti trium vel quinque praetermisso haemorrhagiis ex aure sinistra revertentibus et sensim multitudine crescentibus laboravit, at quum omnino, tum quamdiu illae ingressae erant et reversae non menstruavit. Reminisci non potuit, se unquam aure illa antea laborasse, — quum enim scrofulosis coniectaretur, — sed omnino semper sanitate bona gavisam esse. Tum primum auxilium medicum petiit, quum haemorrhagiae illae sensim copiosiores profusae sunt. Per quod tempus curabantur profluvia, — quo remedio dicere non potuit, sed nihil eo effectum esse neque se ipsam quicquam effectus animadvertisse professa est — e genitalibus effluvium accedit idemque periodicum, languide tinctum pituitam aquosam continens: — quo in statu in clinica illa qervenit. Auris quamquam accuratissime a Dr. T., viro harum rerum expertissimo, pervestigata, ne minime quidem mutatione pathologica affecta fuit: neque quicquam in genitalibus diligentissime inquisitis pathologici reperiri potuit. Quotidianae porro contemplationes per tempus institutae ab haemorrhagia liberum, nec minus quotidianae organorum omnium examinationes, verum puellam dixisse, probarunt. Quum autem profluvium periodicum ex aure profundendum exspectaret aegrota, de similibus hemicraniae symptomatibus questa est, de hypercusi, aucta enim acustici nervi sensibilitate, ut voces mediocriter claras pati non posset: qui status usque ad haemorrhagiae initium manuit, quo circa unicae tres sanguinis et physices a partibus et chemiae naturalis venosi ex aure effusae sunt, cuius tamen fontes propter dolores vehementes perscrutatione effectos non certe definiri potuerunt. Qua paene dies per tres profluente haemorrhagia, quae in dies magis magisque decrescebat, molestiae illae pari modo evanuerunt, ut die quarto nulla sanitatis turbatio iam adesset. — Genitalia quae quum hymen abesset, consentiente aegrota haemorrhagia vicaria profluente, speculo pervestigari poterant, facile hyperaemiam vasorum auctamque secretionem tunicae mucosae uteri ostenderunt; quum portio vaginalis uteri non leviter relaxata esset, et ex orificio uteri in speculum in vaginam immissum pituitae moles effunduntur, languide flavae, aquosae e corpore, vitreo similes, tenaces e cervice, — quae quidem microscopice disquisitae ex corpusculis quae vocantur mucosis, et cellulis epithelialibus compositae et in fluido suspensae erant sanguinolento, sanguinis cellulas continenti flavas et corrugatas. Qui mucus chemice examinatus clarissime alcalinam

ostendit reactionem. Vaginae contra et culvae calorem auctum esse et secretionem vix probari poterat. — Per totum huius processus decursum cordis actiones fortiores celerioresque animadversae sunt: nec minus auctior calor cutis: mammarum autem tumor desideratus est. Cetera, quae non simul affecta erant organa non ab naturali ratione abhorruisse perspicuum fuit, quamquam status totius organismi, quem nos dicimus „Allgemeinbefinden“ certissime perturbatus erat. Quibus ex enarratis symptomatibus non error esse visus est, morbum illum menstruationem vicariam habere. Quum neque ad pacandam illam haemorrhagiam necessaria indicatio neque omnino ad remedia ulla adhibenda adesset, processus hoc loco descriptus exspectativo modo, ut dicitur, curatus est. Sed quum profluvii vicarii revertentis initium exspectaretur, quod aegrota accuratissime certo tempore futurum esse sensit, applicationes hirudinum nonnullarum ad portionem vaginalem uteri ad tres dies repetendae ordinatae sunt. — Postea aegrota rebus domesticis coacta clinica reliquit et nepetita lege ordinatione post mensem et dimidium menstruationem veram iam semel ingressam esse scripsit; de aure tacuit. — (Alio loco, quo feminae nuptae, quae iam reperat, haemorrhagiae bis vomitu effusae, — ut narrabat aegrota, — fere periodice se secutae subito ingressa amenorrhoëa et genitalibus mutatione pathologica carentibus, pro menstruatione vicaria haberi poterant et iam scarificata erat portio vaginalis uteri, alias comprobata est coniectura, menses consilio suppressos esse: quum autem haemorrhagiae animadvertendae copia non esset, fieri non potuit, quin decerni non posset nec quales essent nec quae omnino exsisterent.)

II. R. M. annos viginti tres nata, innupta, fere tres per menses ulcere laboravit in crure vito, cuius ab initio non iam ut prius recte menstruavit. Quod ulcus quamdiu exstitit, sensim magnitudinem non exiguam adeptum est aegrotamque movit, ut auxilium medicum et ut in clinica chirurgica halensia reciperetur, peteret. Recepta est eodem tempore, quo menstruationi ingrediendum erat, quod perspici facile poterat, quia ex ulcere sanguis profluebat quod circum cutis erat inflammata et tacta dolebat: praeterea autem ab aegrota comprobatum est. Quae quum ita essent, diagnosis ulceris menstrualis satis certificata esse visa est. Quum femina ceterum valitudine uteretur bona, sanguinis

missio e facie interna femorum et tinctura guaiaci ammoniacata ordinata, ceterum ulcus remediis aptis tractatum est. — Mense deinde non toto praeterlapso, quo tempore ordinatio continuata erat, ulceris magnitudo satis dimminuta atque menstruatio vera semel quamquam exigua, effusa est.

Librorum conspectus.

Busch, Geschlechtsleben des Weibes etc. Bd. IV. Berlin, 1839—1845.

Meissner, Frauenzimmerkrankheiten etc. Bd. II. Leipzig, 1843—1845.

Kiwisch von Rotterau, klinische Vorträge über specielle Pathologie und Therapie der Krankheiten des weiblichen Geschlechts. Bd. I. Prag, 1845—1849.

Ashwell, prakt. Handbuch über die Krankheiten des weiblichen Geschlechts. Leipzig, 1854.

Scanzoni, Lehrbuch der Krankheiten der weiblichen Sexualorgane. Wien, 1859.

— Beiträge zur Geburtskunde und Gynaekologie. Bd. IV. Würzburg 1854—1860.

VITA.

Natus ego sum Hugo Carolus Stitzer, Bedrae pago apud Martisburgium sito, die XXVI. mensis Aprilis anni huius saeculi XXXVII, patre Carolo, oeconomo, iam defuncto, matre Friderica, e gente Mehnert, quam adhuc superstitem pio gratoque animo veneror. Fidei addictus sum evangelicae.

Primis litterarum elementis domi imbutus, gymnasium Martisburgiense, quod tunc temporis rectore Wiek florebat, anno h. s. IL. ineunte adii et per duos annos et semestre in altiora studia incubui. Deinde gymnasium Halense, quod schola latina vocatur et rectore Eckstein maxime floret, per quinque annos frequentavi.

Testimonio maturitatis anno h. s. LVI. instructus inter vives academiae regiae medico-chirurgicae militaris Berolinensis receptus sum ab Ill. Braun tunc temporis decano spectatissimo et per tria semestria hisce interfui scholis: philosophicis: Ill. Dove, de physice et meterologia. Ill. Mitscherlich: de chemia anorganica et organica. Ill. Werder, de psychologia, de logice. Ill. Braun, de botanice, Cel. Hanstein de botanice medica. Ill. Lichtenstein et Ill. Peters; de zoologia. Ill. Rose, de mineralogia. Medicis: Ill. Müller: de anatomia universali et organorum sensuum: de physiologia et embryologia, Ill. Schlemm: de osteologia, de splanchnologia. Ill. Schultz-Schultzenstein: de encyclopaedia et methodologia medica. Artem cadavera rite dissecandi me docuerunt Ill. Müller et Ill. Schlemm.

Anno deinde h. s. LVIII. Halas me contuli ibique ab Ill. Moll, tunc temporis Rectore Magnifico civium academicorum universitati litterariae Fridericianae numero adscriptus apud Ill. Volkmann, medicorum ordinis gratiosi decanum spectatissimum nomen dedi: perque semestre hisce interfui scholis: Ill. Volkmann: de physiologia experimentali, de motu; Ill. Vogel: de pathologia et therapia generali, de morbis cutaneis; Cel. Schultze: de anatomia microscopica, de anatomia comparata de syndesmologia.

Eodem anno Wirceburgum profectus ibique ab Ill. Albrecht tunc temporis Rectore Magnifico inter cives universitatis litterariae Iulianae Maximilianae Bavariae receptus sum et per tria semestria hisce interfui scholis: Ill. Bamberger, de pathologia et therapia speciali; de auscultatione et percussione. Ill. de Scanzoni, de arte obstetricia. Ill. Linhart, de chirurgia theoretica. Ill. de Textor, de instrumentis chirurgicis. Ill. Förster, de anatomia pathologica, de histologia pathologica. Cel. Schwarzenbach, de materia medica, de arte formulas medicas rite concinnandi, de chemia physiologica et pathologica. Cel. Roth, de syphilide. Cel. Eyssel, de diagnostice chirurgica. Cel. Seiser, de formulis medicis. Ibidemque clinicis interfui: medicis, Ill. Bamberger; chirurgicis, Ill. Linhart; obstetriciis et gynaecologicis, Ill. de Scanzoni; psychiatricis, Ill. de Marcus; paediatricis, Ill. Rienecker; syphiliticis, Cel. Roth. Artem fascias rite applicandi me docuit Cel. Eyssel; in exercitationibus et operationibus obstetriciis Ill. Schmidt; in disquisitionibus chemicis et physiologicis et pathologicis Cel. Schwarzenbach duces mihi fuerunt.

Anno deinde h. s. LX Halas redii iterumque inter cives universitatis litterariae Fridericianae ab Ill. Erdmann tunc temporis Rectore Magnifico absque Ill. Blasius gratiosi medicorum ordinis decano amplissimo receptus per semestre hisce interfui scholis: Ill. Blasius, de aciurgia, de operationibus ophthalmiatricis. Ill. Vogel, de semiotice et diagnostice medica. Ill. Krahmer, de medicina forensi: Clinicis medicis, Ill. Vogel; chirurgico-ophthalmiatricis, Ill. Blasius; obstetriciis, Ill. Hohl. — In exercitationibus aciurgicis Ill. Blasius, in medico-forensibus Ill. Krahmer, duces mihi fuerunt.

Quibus omnibus viris de me optime meritis gratias ago semperque habebo quum maximas.

Iam vero tentaminibus tam philosophico quam medico nec minus examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

I.

Saliva in digestione amyli nullius momenti.

II.

Sutura cruenta in vulneribus capitis non necessaria est.

III.

Resectiones nervorum ad sanandas neuralgias reiicio.

IV.

Sustentationem perinaei in partu necessariam esse nego.

V.

Amenorrhoëa non morbus sed symptoma.